

eum primo visendi gratia coepere. Post haec adsiduitate
conloquii mali rursus eum ad ea quae spreverat et con-
40 tempserat revocarunt et abiecta omni quam adsumpserat
philosophia, de montibus descendit ad forum. Tum per
medium civitatis equo vectus et cursoribus stipatus ince-
dere totamque obire urbem, quasi volitans et exultans,
obire. Abiecta sunt fraena pariter castitatis, cui cum deli-
45 ciis et luxuria nullum potest esse consortium. Inde iam
obscaenis amoribus inretiri et in omnem turpitudinem
captivari ita ut nullus hominum fuerit qui non salutem
eius penitus desperaverit. Circumvolabant namque eum
examina parasitorum, circumdabant adulatorum greges
50 pupillum, adulescentem, divitem et si quid ei iam reli-
quum videbatur spei. Illi autem qui ad reprehendenda
omnia prompti sunt, etiam illud culpabant cur omnino
vel ex initio aspirasset ad hanc vitam et praesumpsisset
quidem quod obtinere non poterat, reliquisset autem stu-
55 dia ex quibus proficere in litterarum eruditione potuisset.
Cum ergo haec et alia huiusmodi a singulis quibusque de
eius vita dicerentur et esset facti huius apud nos pudor
ingens, sancti quidem viri quibus esset peritia in huius-
modi venationibus capiendis quique multo usu et expe-
60 rienta didicissent nihil esse desperandum, armati spe Dei,
coeperunt observare eum sollicitius et si quando in pla-
tea occurrisset accedere cum mansuetudine et salutare.
At ille, primo quidem equo sedens de alto vix resalutare
aut respondere eis e latere incedentibus dignabatur, tan-
65 tum elationis et improbitatis assumpserat. Sed illi mise-